

**Bulla "Unam Sanctam", 18. Nov. 1302.  
Bonifatius Pp. VIII**

***De unitate Ecclesiae***

**Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est nec remissio peccatorum ...; quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius corporis caput Christus, Christi vero Deus. In qua "unus Dominus, una fides et unum baptisma" [Eph 4, 5]. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam Ecclesiam praefigurans, quae in uno cubito consummata unum, Noe videlicet, gubernatorem habuit et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta.**

**Hanc autem veneramur et **u n i c a m** , dicente Domino in Propheta: "Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicum meam" [Ps 21, 21]. Pro anima enim, id est pro se ipso, capite simul oravit et corpore, quod corpus unicum scl. Ecclesiam nominavit, propter Sponsi, Fidei, Sacramentorum et caritatis Ecclesiae unitatem. Haec est "tunica" illa Domini "inconsutilis" [Io 19, 23], quae scissa non fuit, sed sorte provenit.**

**Igitur Ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: "Pasce oves meas" [Io 21, 17]. "Meas", inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Graeci sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos: fateantur necesse est se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne, "unum ovile,**

unum et unicum esse pastorem" [Io 10, 16].

### ***De potestate spirituali Ecclesiae***

In hac eiusque potestate duo s esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur [Provocatur ad Lc 22, 38 et Mt 26, 52]... Uterque ergo est in potestate Ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem **pro** Ecclesia, ille vero **ab** Ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati... Spiritualem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt... Nam Veritate testante, spiritualis potestas terrenam potestatem instituere habet, et iudicare, si bona non fuerit... Ergo si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed, si deviat spiritualis minor, a suo superiore; si vero Suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante Apostolo: "Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur" [1 Cor 2, 15].

Est autem haec auctoritas, etsi data sit homini et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso Christo, quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro: "Quodcumque ligaveris" etc. [Mt 16, 19]. Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae "resistit, Dei ordinationi resistit" [Rom 13, 2], nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et haereticum iudicamus, quia, testante Moyse, non in principiis, sed "in principio caelum Deus creavit et terram" [cf. Gn 1, 1].

**Porro subesse Romano Pontifici omni humanae**

**creaturae declaramus, dicimus, diffinimus omnino esse de necessitate salutis.**